

Religiosis Societatis Jesu Indultum conceditor Officium recitandi, ac Missam celebrandi de Communi Confessoris non Pontificis die 21. Junii de Beato Aloysio Gonzaga.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Sede Principis Apostolorum, nullis ficit nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificetur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Ad preces Societatis Jesu.

§.1. Sane pro parte dilectorum filiorum Præpositi Generalis, ac Presbyterorum Societatis Jesu Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi pro eo, quem erga Beatum Aloysium Gonzagam ejusdem Societatis, dum vixit, religiosam gerunt devotionis affectum, Officium, & Missam de eo, ut infra recitari posse, summo desiderio: Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis hujusmodi annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Concedit Religiosis d. Societ. Officium & Missa de B. Aloysio Gonzaga celebrat.

§.2. Nos igitur Præpositum Generalem, ac Presbyteros prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut de dicto Beato Aloysio Gonzaga die 21. Junii, quo ex hac vita migravit ad Cælum, ab omnibus ejusdem Societatis Religiosis ubique terrarum existentibus juxta Rubricas Breviarum, & Missalis Romani de communi Confessoris non Pontificis Officium recitari, & Missa celebrari respective liberè, & licite valeat, necnon etiam confluentibus ad eorundem Religiosorum Ecclesiis Missam in illis de eodem Beato Aloysio Gonzaga, ut supra, celebrare liceat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, Secretarii ipsius Societatis, vel Notarii publici manu subscriptis, & personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ, vel pro tempore existentis Præpositi, aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præsentibus

Dat. die 21. Octobr. 1621. An.I.

adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris, die 21. Octobris 1621. Pontificatus nostri Anno I.

XXXVII.

Suppressio, & extinctio Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Cæcilie de Urbe in Monte Jordano, cum animarum curæ translatione ad Ecclesiâ circumpositas, & ex ejus proventibus duorum Canonicatum in Ecclesiâ Sancti Laurentii in Damaso erectione, ac ejusdem reductio ad profanos usus; Nec non ejusdem concessio Congregationi Oratorii Urbis pro ampliori Sacrificiæ, ac Oratorii ædificatione, & propriæ Domus dilatatione.

Oratorii Congregationem a Sancto Philippo Nerio institutam approbavit Greg. XIII. eique concessit Parochialem Ecclesiam Beate Mariæ in Vallicella de Urbe, in Constitut. CLXXXVI. Copiosius. Tom. IV. Par. IV. fol. 108.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilecto filio Nostro in Urbe ejusque Districto Vicario in Spiritualibus Generali salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum ad uberes fructus, quos Presbyteri Congregationis Oratorii in agro militantis Ecclesiæ producere non desistunt, nostræ considerationis dirigimus intuitum, dignum ducimus, ut ea, quæ pro dictæ Congregationis, illiusque domorum, & Oratoriorum ornatu, & usibus necessaria esse noscuntur, favorabiliter concedamus, & aliâ desuper nostri officii partes, etiam per concessionem Ecclesiarum, interponamus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Preces Congregationis Oratorii pro obtinenda facultate propriam eadem dilatandi.

§.1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpositi, & Presbyterorum Congregationis Oratorii in Ecclesiâ Beate Mariæ Virginis, & Sancti Gregorii in Vallicella de Urbe dudum à Beato Philippo Nerio fundatæ petitio continebat; Quod ipse Præpositus, & Presbyteri amplioris loci spatio pro eorum Oratorii, Sacrificiæ, & etiam propriæ domus dilatatione, aut nova constructione indigentes, in vim facultatis a felicis recordationis Paulo Papa Quinto Prædecessore nostro eis concessæ, omnes fere domos in utraque insula, majori videlicet, & minori Montis Jordani intus plateam dicti Montis, & Ecclesiam prædictam sitas, magna eorum impensa emerunt, & alias in ipsis insulis per eos nondum emptas domos vigore ejusdem facultatis emere, ibique amplam ædificationem eorum usibus, & necessitatibus congruentem, quamprimum facere proposuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio

subjungebat, in dicto situ Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Cæcilie posita, & a tribus partibus, seu lateribus ab eisdem domibus, hinc inde circumseptâ reperitur, & ea propter dictæ ædificationis operi, & ornatui haud parum incommodum, & impedimentum allatum sit, huicque incommodo, & impedimento aliâ, quam per d. Ecclesiâ S. Cæcilie demolitionem provideri non possit: Ipsa autem fonte baptismali careat, & in suis structuris satis angusta, & cura animarum illi imminens non valde numerosa existat: curaque hujusmodi ad alias Parochiales Ecclesiâ circumvicinas transferri, & ab eorum Rectoribus commode exerceri possit: pro parte Præpositi, & Presbyterorum hujusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate apostolica dignaremur.

Gregorius mandat Card. Vicario, ut ab Ecclesiâ S. Cæcilie animarum curâ proprietas, fructus, cum consensu Diaconi Card. S. Laurentii in Damaso abdicet, & pariet. ac dimembret.

§.2. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; idemque servaretur in quibusvis dismembrationibus, concessionibus, & applicationibus de quibuscumque fructibus, & bonis Ecclesiasticis prædictis; Præpositum, ejusque, ac Presbyterorum hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon aliarum concessionum, & assignationum præfatæ Congreg. hæcenus quomodolibet factarum, tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, circumspeditioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, te de præmissis diligenter informes, & si per informationem eandem ita esse repereris, a dicta Ecclesiâ Sanctæ Cæcilie, quæ ab Ecclesiâ Sancti Laurentii in Damaso de dicta Urbe, tamquam ejus Matrice dependet, & quam dilectus filius Angelus Baldus ipsius Ecclesiæ Sanctæ Cæcilie Rector ad præsens obtinet; cujusque fructus, redditus, & proventus centum, & viginti ducatorum auri de Camera, secundum communem estimationem, valorem annum non excedunt, ut asseritur, ex nunc, prout ex tunc, & e contra, postquam illa per cessum, etiam permutationis causa, etiam in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, vel decessum, seu privationem, vel amissionem aliam quamcumque, aut Religionis ingressum dicti Angeli, seu aliâ quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, & eidem Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique præfatæ, per quascumque Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariæ Apostolicæ regulas editas, & edendas nunc, & pro tempore reservatis, aut collatoribus Or-

dinariis, etiam per eandem, vel quavis alias Constitutiones, aut regulas, seu literas alternatarum, vel alia privilegia, indulta hæcenus concessis, & impostum concedendis, aut jure ordinario, vel aliâ competentibus, vacare contigerit, seu si in aliquo ex præmissis, vel alio quovis modo, & ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem d. Angeli, vel cujusvis alterius de illa in Rom. Curia, aut extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut Constitutionem piæ m. Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis*; vel assequutionem alterius beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collativa, & etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Ecclesiâ Sanctæ Cæcilie dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, omnimodam animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum curam, illaque jura, officia, & onera Parochialia universa, & illorum exercitium, necnon etiam omnia, & singula illius proprietates, fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque, in quibusvis rebus consistentia, & undecumque provenientia, de consensu dilecti filii nostri Alexandri Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis de Montealto nuncupatis, sine tamen aliquo dicti Angeli præjudicio, præsertim quoad universa jura Parochialia ipsius Ecclesiæ Sanctæ Cæcilie, liberamque, & omnimodam tam illius, quam honorum ejusdem administrationem, quæ præfato Angelo, quoad vixerit, eandem Ecclesiam Sanctæ Cæcilie obtinuerit, plene cedere, & competere valeant, auctoritate Nostra perpetuo abdicet, ac respective separet, ac dimembret.

Distributio nemque onerum Parochialium Ecclesiis circumvicinis arbitrio dicti Card. S. Laurentii faciendam jubet.

§.3. Necnon curam, jura, officia, & onera Parochialia, illorumque exercitium hujusmodi cum utriusque sexus Parochianis prædictis, pro ea parte videlicet, quæ ambas Insulas prædictas complectitur, ad dictam Ecclesiam Beate Mariæ, & Sancti Gregorii, pro residuo vero ad alias Parochiales Ecclesiâ circumvicinas juxta distributionem a dicto Alexandro Cardinali, seu pro tempore existente ipsius Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali, pro libero, & absoluto ejus voluntatis arbitrio faciendam.

Ecclesiâ S. Laurentii tamquam matrem singulis annis, modo hic expresso, recognoscenda.

§.4. Ita quod ipsa Ecclesiâ Beate Mariæ, & Sancti Gregorii, & prædicti moderni, ac pro tempore existentes Præpositus, & Presbyteri dictæ Congregationis Ecclesiam S. Laurentii prædictam ratione Parochianorum dictas duas Insulas pro tempore incolentium dumtaxat in matricem ad instar aliarum similium Ecclesiarum recognoscere, & ad illam perpetuis futuris temporibus in signum recognitionis hujusmodi singulis annis die Sabbathi Hebdomadæ Sanctæ Parochum, seu aliam Presbyterum, qui ibi

Necnon duos Canonicatus ad infra aliorum Canonice in dicta Eccl. S. Laurentii cu consensu Capituli ac duas prebendas Sacerdotalis erigat & instituat.

Cum dotis assignatione hic descripta.

Executorem quique concedat d. Sancti Laurentii Dicit. Card. ut omnes Missas preces, orationes, & alia suffragia quorumvis in dicta Eccl. S. Cæciliae quomodolibet fundata ad alias Ecclesias sibi benevolentia transferat.

Ipsamq; Eccl. S. Cæciliae ab omnibus oneribus liberam, ac sine bonis d. Congregat. ac clericis concedat, & assignet.

ad Olei Sancti benedictionem, ut moris est, assistat, mittere teneantur, dicta auctoritate etiam perpetuo transferas.

§.5. Ac in dicta Ecclesia Sancti Laurentii duos Canonicatus, & duas Prebendas Sacerdotalis pro totidem Canonicis, qui apud eandem Ecclesiam Sancti Laurentii personaliter residere, ac stallum in Choro, locumque, & vocem in Capitulo habere, ac omnibus, & singulis privilegiis, quibus ejusdem Ecclesie Sancti Laurentii Canonici utuntur, similiter uti possint, & valeant, de consensu dictorum filiorum Capituli prædictæ Ecclesie Sancti Laurentii, dicta auctoritate erigas, & institutas.

§.6. Illisque sic erectis, & institutis, pro illorum dote, ac illos pro tempore obtinentium sustentatione omnia, & singula dictæ Parochialis Ecclesie Sanctæ Cæciliae proprietates, fructus, redditus, & proventus, bona, canones, census, & alia quacumque, non tamen emolumenta ex exercitio cura animarum provenientia, & exceptis tot bonis stabilibus, seu legatis pro celebratione infra scriptarum Missarum, & Anniversariorum eidem Ecclesie S. Cæciliae, seu ipsius Rectori factis, seu relictis; ex quibus centum scuta moneta annuatim percipi possint, quæ Ecclesie, ad quas Missas, & anniversaria infra scripta transferri contigerit, applicari debeant, auctoritate prædicta applices, & appropries.

§.7. Ceterum quia, ut asseritur, in dicta Ecclesia Sanctæ Cæciliae septingenta Missæ, vel forsitan plures celebranda a diversis fidelibus fundata reperuntur; eidem Alexandro, seu pro tempore existenti Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali, tam Missas hujusmodi, cujuscumque numeri illæ existant, & etiam si aliquæ earum in cantu celebrari debeant; quam omnia, & quæcumque Anniversaria, orationes, preces, & alia suffragia in eadem Ecclesia Sanctæ Cæciliae hætenus quomodolibet fundata, ad quaslibet alias Ecclesias sibi benevolentia transferendi, & illis pro arbitrio suo applicandi, dummodo tamen pia ipsorum fundatorum dispositiones inde in aliquo non lædantur, licentiam, & facultatem impertiatis.

§.8. Porro ipsam Ecclesiam Sanctæ Cæciliae sic ab hujusmodi cura, officiis, oneribus, & exercitiis Parochialibus, Missarumque, Anniversariorum, precum, orationum, & aliorum suffragiorum hujusmodi celebrationibus, & recitationibus liberam, & exemptam, ac sine bonis, & fructibus remanentem, dictæ Congregationi, ita quod liceat illius Præposito, & Presbyteris prædictis nunc, & pro tempore existentibus, corporalem, realem, & actualem possessionem ipsius Ecclesie Sanctæ Cæciliae apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, cujusvis licentia desuper minime requisita, de consensu ejusdem Alexandri Cardinalis, itidem eadem auctoritate similiter perpetuo concedas, & assignes.

§.9. Postremo autem tibi, & pro tempore

existenti d. Urbis Vicario, quotiescumque, & quandocumque post factum abdicationi, dismembrationi, concessioni, & assignationi, alisque præmissis locum a Præposito, & Presbyteris d. Congregat. desuper requisiti fueritis, ipsam Ecclesiam Sanctæ Cæciliae, extractis tamen prius ex ea omnibus defunctorum ibi sepulchrorum ossibus, & corporibus, iisdemque ad dictam Ecclesiam Beatæ Mariæ, & Sancti Gregorii translatis, & in ea decenter reconditis, servatis de jure servandis, profanandi, & ad profanos, non tamen sordidos, usus reducendi.

§.10. Præposito vero, & Presbyteris eisdem illam sic profanatam demolendi, & ligna, lapides, aliaque rudera, & materialia inde provenientia in novas ædificationes prædictas, aut alios quoscumque eorum usus convertendi, & in, & super solo, seu situ ipsius Ecclesie Sanctæ Cæciliae sic profanatæ, & demolitæ, fabricari faciendi.

§.11. Cum hoc tamen, quod in signum profanatæ, & demolitæ Ecclesie hujusmodi, in Oratorio per dictam Congregationem de novo construendo, Altare majus in honorem, & sub invocatione Sanctæ Cæciliae, ac Beati Philippi Neri, fieri illius icone Imago ejusdem S. Cæciliae a parte dextra collocari debeat, licentiam pariter, facultatem eadem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

§.12. Decernentes, præsentem literas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, seu alios Romanos Pontifices Successores nostros sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in præsitum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Præpositum, & Presbyteros ejusdem Congregationis quandocumque eligenda, concessas, ac semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri.

§.13. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, & de latere Legatos, & Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.14. Non obstantibus priori voluntate nostra, & singulis præmissis, ac Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas

Cardinali Vicario licentiam tribuit d. Eccl. S. Cæciliae (sublati prius defunctorum ossibus, ac in Ecclesia S. Mariæ, & S. Gregorii collatis) profanandi.

Et Clericis prædictis eam demolendi, ac de novo ædificandi.

Cum onere erigendi in Oratorio Altare majus sub invocatione Sanctæ Cæciliae, & S. Philippi Neri.

Clausula per servatam hujus Constitutionis.

Decretum irritans.

Contrariis abrogatio.

Dat. die 1. Octobr. 1621. An.I.

Ex Regest. in Secret. Brevi.

Procurium.

Instante Rege Generali.

Congr. Episcoporum, & Regularium Congr. Presbyter. Matris Dei ad statum Religionis cu vocis solemnibus elevari posse censet.

tuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentes, aliique Apostolicis, ac in Provincialibus, synodalibus, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Ecclesie Sanctæ Cæciliae, ac Missarum, Orationum, Precum, & suffragiorum hujusmodi fundationibus, ejusdemque Urbis, quatenus opus sit, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexagesimo vigesimo primo, septimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno I.

XXXVIII.

Confirmatio Decreti Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium pro elevatione Congregationis Presbyterorum Matris Dei ad statum Religionis cum tribus votis solemnibus.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo apostolatus folio meritis licet imparibus divina dispositione constituti, ad ea vigilantia nostre partes libenter interponimus, per quæ pia Presbyterorum Congregationes in Ecclesia Dei, ad illius laudem, & gloriam provide sancteque instituta, in perseverantia laudabilium operum incitentur, ac majoribus in dies proficiant incrementis.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Josephus Matrai Rector Generalis Congregationis Presbyterorum Matris Dei de Urbe Nobis nuper exponi fecit, Presbyteri ejusdem Congregationis tria simplicia Paupertatis, scilicet, Castitatis, & Obedientie Vota emittant; cumque perfectioris vite studio ducti simplicia Vota præfata per Nos solemniter declarari Nobis humiliter supplicassent, Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium præpositi, quibus negocium hujusmodi mature examinandum, & Nobis referendum commissimus, præfata Congregationem nuncupatam Matris Dei, olim Luxæ primitus erectam, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Porticu de Urbe modo degentem, juxta Constitutiones suas alias per bon. mem. Cæsarem Cardinalem Baronium visas, & ab ipso de ordine fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri probatas, & deinde per rec. mem. Paulum Papam V. etiam Prædecessorem nostrum instauratas in Religionem trium Votorum solemnium approbati posse censuerint, prout in decreto desuper sub die xxxi. Augusti proxime præteriti factio dicitur contineri.

§.2. Nos piis Josephi, & Presbyterorum Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

præfatorum Votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis professi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præfatum auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetue, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementum.

§.3. Decernentes præsentem literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Josepho, & Presbyteris præfatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non, quatenus opus sit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Novembris 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

XXXIX.

Confirmatio quarundam literarum Apostolicarum, & privilegiorum pro Collegio, & Universitate Studii Generalis Civitatis Elborensis, quod ab Archiepiscopi jurisdictione liberum declaratur.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, olim per clara memoria Henricum tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem tunc Infantem Portugallie nuncupatum, qui postmodum etiam Portugallie, & Algarbiorum Rex fuit, fel. rec. Pio Papa Quinto Prædecessori nostro exposito, quod alias ipse Henricus Cardinalis unum Collegium sumptuosius ædificis in Civitate Elbo-

Decretum hujusmodi confirmat Pontifex.

Clausula.

Derogatio contrariorum.

Dat. die iii. Novembris 1621. An.I.

Ex Regest. in Secret. Brevi.

Henricus Card. Portugallie fundator prius Collegio Soc. Jesu in Urbe Elborensi.

Studiorum quoque Universitatem in eo erigendam curavit.

Elboren., ejus tunc Archiepiscopus erat, propriis suis sumptibus, & expensis pro divini cultus, & religionis augmento crederat, & instituerat, illudque dilectis filiis Religiosis Societatis Jesu per eos tenendum, regendum, & gubernandum concesserat, & donaverat, & deinde considerans, quod Civitas predicta una ex insignibus dicti Regni, & ad Universitatem Studii Generalis manutenuen. capax, & idonea erat, & a Civitate Colimbrien., ubi Universitas Studiorum generalium vigeat, nimium distabat; ita ut Cives ejusdem Civitatis Elboren., alique incolae ejus districtus, & aliorum circumvicinorum locorum absque longi itineris dispendio, literis incumbere, divinum cultum augere, ac bona, quae ex literarum scientia proveniunt, in Dei laudem, & honorem adipisci non valeant, Collegium predictum in Universitatem Studii Generalis, in qua omnes licite scientiam, & facultates praeter medicinam, & jus civile, ac tam partem juris canonici, quae ad forum contentiosum pertinet, doceri, legi, & interpretari possent, & in qua scientiis, seu facultatibus predictis omnes etiam Magisterii, & Doctoratus gradus ad instar Colimbrien., & aliarum Universitatum Regni Portugalliae, rigorose examine praecedente, ac juxta earumdem Universitatum morem, his, qui idonei forent, per Rectorem Universitatis, vel alias personas idoneas per eundem Henricum Cardinalem deputan., conferrentur, erigi, & institui, illamque, & illius curam, regimen, & administrationem dilecto filio Praeposito generali dictae Societatis, & Religiosis predictis; Universitatis vero hujusmodi, ac Scholarium in ea pro tempore existentium jurisdictionem, & correctionem, salvis privilegiis ipsius Societatis sibi, ejusque Vicario quoad viverent, & deinde successoribus suis Archiepiscopis Elboren., seu similibus mem. Sebastiano Portugalliae, & Algarbiorum Regi, tunc in humanis agenti, ejusque successoribus, prout idem Henricus Cardinalis expedire judicasset, juxta providam desuper per eum facien. ordinationem perpetuo, apostolica auctoritate, committi, aliaque fieri, statui, concedi, indulgeri, ac decerni obtinuerat.

§.2. Et in eadem expositione subjuncto, quod ipse Henricus Cardinalis de prospero, ac felici successu, & directione salutari Universitatis hujusmodi anxius, & sollicitus, re per eum maturius perspecta, & considerata censuerat, & judicaverat eidem Universitati, illiusque optato progressui, & augmento valde consultum iri, si non solum omnimoda illius cura, regimen, & administratio Praeposito generali, & Religiosis predictis, ut praefertur, verum etiam illius, ac Scholarium in eadem Universitate pro tempore existentium jurisdictio, & visitatio quoad ea videlicet, quae eorumdem Religiosorum Constitutionibus non repugnarent, eidem Praeposito generali, & Religiosis ex tunc in perpetuum committeretur, demandaretur, concederetur, &

Et apostolica auctoritate confirmari.

Obtinuit etiam declarari omnimodam super ea Universitatis, ejusque membris jurisdictionem ad Praepositum, & Universitatis Societatis pertinere.

assignaretur, ita quod nec ipse Henricus Cardinalis de cetero quoad viveret, si ei placuisset, jus sibi competens ex tunc a se abdicare, nec post ejus obitum Archiepiscopus Elboren., aut Portugalliae Rex praedicti, vel alia quavis persona in jurisdictione, correctione, aut visitatione praedictis, nullo unquam tempore se valerent introumittere.

§.3. Ac per praedictum Henricum Cardinalem eidem Pio Praedecessori humiliter supplicato, quatenus ejus pio desiderio annuere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur; idem Pius Praedecessor illius precibus tunc annuens, Praeposito generali, & Religiosis praedictis, non solum omnimodam curam, regimen, & administrationem, Universitatis praedictae, prout alias illis commissa, & concessa erat, verum etiam illius, ac Scholarium in eadem Universitate pro tempore existentium jurisdictionem, correctionem, & visitationem, quoad ea videlicet, quae eorum constitutionibus non repugnarent, in perpetuum auctoritate praedicta commiserit, concesserit, demandaverit, & assignaverit, ipsumque Henricum Cardinalem, ut praefertur, & si ei placuisset, jus sibi competens a se abdicare, ex tunc de cetero, aut post ejus obitum Sebastianum, & pro tempore existentem Portugalliae, & Algarbiorum Regem, seu Archiepiscopum praedictos, vel aliam quamvis personam cujuscumque status, gradus, & conditionis existeret, in jurisdictione, correctione, & visitatione praedictis, omnibusque, & singulis aliis ad eandem Universitatem, illiusque Religiosos, Scholares, Officiales, lectiones in ea perlegendas, aut bona, privilegia, gratias, libertates, & exemptiones illorum spectantia, & pertinentia se introumittere, aliquam superioritatem, jurisdictionem, correctionem, aut visitationem, seu visitandi, aut ea regendi jus habere, nullatenus posse, sed praemissa omnia ad eundem Praepositum, & Religiosos plenarie spectare, & pertinere debere, nec super illis a praedictis, aut quibusvis aliis personis molestari, perturbari, aut impediti posse, etiam perpetuo statuerit, & ordinaverit, & mandaverit; nihilominus pro potiori cautela Universitatem, seu Collegium, illiusque Religiosos, Officiales, personas, res, & bona quaecumque, nec non Scholares in ea pro tempore existentes, ab ipsius Henrici Cardinalis, & Sebastiani Regis, ac Archiepiscopi, & successorum praedictorum jurisdictione, correctione, & visitatione ex tunc similiter perpetuo exemerit, & liberaverit, illaque omnia Praepositi, & Religiosorum praedictorum cura, regimini, administrationi, jurisdictioni, correctioni, & visitationi, quoad ea videlicet, quae eorum Constitutionibus non repugnarent, pariter perpetuo supposuerit, submisserit, & subjecerit; Sicque per quoscumque Commissarios quavis auctoritate fungentes, subblata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & au-

Quae omnia Pius PP. rara habuit, nonnulla etiam, peculiariter concedens privilegia.

Repugnante vero Regulis Soc. exercitio jurisdictionis civilis, & criminalis.

Illud Ministri Elboren. ad placitum tamen Rectoris Universitatis exercebantur commisit.

Sixtus deinde Quintus Universitatis Rectori facultatem concessit, ejus Conservatores designandi.

toritate judicari, & destinari debere, ac quid quid fecus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decrevit.

§.4. Et insuper, quia jurisdictionis civilis, & criminalis exercitium eorumdem Religiosorum Constitutionibus repugnabat, & pro salubri Scholarium, & ejusdem Universitatis directione plurimum expediebat, quod ministri tam Ecclesiastici, quam seculares, qui jurisdictionem hujusmodi in Civitate Elboren. exercebant Rectoris ipsius Universitatis voluntatem etiam circa punitionem Scholarium diligenter exquirerent, & generaliter res studiorum, cum ab eorum Rectore illis forent commendatae, condigno favore suo prosequerentur, eisdem Ministros, ut id diligenter, ac benigno animo praestarent, in Domino hortatus fuerit, & rogaverit, ipsisque, ne quempiam ex Scholaribus praedictis intra Scholas, & Claustra ejusdem Universitatis contra Rectoris voluntatem, pro quavis causa civili, aut criminali, alioque quocumque praetextu capere, apprehendere, & ad carceres deducere, aut aliquam vim, seu violentiam inferre, sub excommunicationis poena, quam contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrerent, inhibuerit.

§.5. Et deinde idem Henricus Cardinalis, legitimis, ut a ferebat causis adductis, statuerit, ut Scholasticorum, Clericorum in sacris ordinibus constitutorum, aut Beneficiorum, & in dicta Universitate Studentium conservator esset unus ex duobus Inquisitoribus haereticae pravitatis in dicta Civitate Elboren. deputatis, aut Protector Elboren., quem scilicet nominasset ipse Universitatis Rector, & successive pro parte dilectorum filiorum Rectoris Collegii, & Universitatis hujusmodi, ac Provincialis ejusdem Societatis in dicto Regno pia memoria Sixto Papa etiam Quinto similiter Praedecessori nostro etiam exposito, quod idem Henricus Cardinalis, qui antea Collegium, & Universitatem hujusmodi fundaverat, illaque, nec non eorum Collegiales, & Scholares tam Ecclesiasticos, quam seculares ab hujusmodi jurisdictione, & superioritate pro tempore existentis Archiepiscopi Elboren. per dictum Pium Praedecessorem perpetuo eximi obtinuerat pro tempore existentem Officialem Elboren., sive alterum ex Inquisitoribus praedictis, quem Rector Universitatis hujusmodi pro tempore duxisset eligendum, seu nominandum in Conservatorem Ecclesiasticum Collegialium, & Scholarium Collegii, & Universitatis hujusmodi, qui sacris ordinibus initiati, seu Beneficiati essent, sufficienti ad id a Sede Apostolica facultate suffultus, constituerat, ordinaverat, & deputaverat, & ordinationis, & deputationis hujusmodi vigore diversis Conservatores Ecclesiastici a Rectoribus Collegii, & Universitatis praedictorum eatenus nominati fuerant, conveniens tamen non erat, ut Collegii, & Universitatis, ac Collegialium, nec non

Scholarium praedictorum a jurisdictione dicti Archiepiscopi exemptorum, ipsius Archiepiscopi Officialis Conservator existeret, cum etiam ratione exemptionis praedictae possent inter Archiepiscopum, & exemptos praedictos aliqua differentia verisimiliter exoriri, dicti vero Inquisitores aliis praepediti negotiis ad ea, quae erant Collegii, & Universitatis hujusmodi non commode, & prout conveniebat, attendere poterant, ac proinde opere pretium erat, alios eorum loco Conservatores subrogare, seu illis adjungi; Sixtus Praedecessor praedictus supplicationibus pro Rectoris, & Universitatis, ac Provincialis praedictorum parte sibi desuper tunc porrectis inclinatus, Rectori, & Provinciali praedictis tunc, & pro tempore existentibus, & ipsorum Collegii eum, vel eos in dignitate ecclesiastica constitutos tam seculares, quam quorumvis ordinum Regulares Decretorum Doctores, vel in Theologia Magistros, vel Licentiatos, quem, seu quos Rector, sive Provincialis ipse duxisset nominandos, & eligendos, assumere possent, & valeret, itidem perpetuo concesserit, & indulserit; eisdemque, ut praefertur, in Conservatores nominatis, & electis commiserit, & mandaverit, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, etiam si forent extra loca, in quibus Judices, & Conservatores, ut praefertur, deputati essent, eidem Rectori, Collegio, Universitati, & singularibus illorum personis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permitterent Rectorem, Collegiales, & Scholares praedictos super bonis, ac juribus ad Collegium, & Universitatem hujusmodi spectan., ac privilegiis, & exemptionibus, immunitatibus, facultatibus, & indultis eis communiter, vel divisim pro tempore quomodolibet concessis, eorumque usu, & pacifica possessione a quibusvis personis indebite molestari, aut eis gravamina, damna, vel injurias desuper irrogari, acturi Collegio, & Universitati, illorumque Collegialibus, & Scholaribus, ac personis hujusmodi, cum ab eis, eorumque Protectore forent requisiti, super praemissis in iis, quae judiciale requirent indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, sola facti veritate inspecta, in aliis vero, prout qualitas negotiorum exigeret, Justitiae complementum, occupatores, seu detentores, praesumptores, & innovatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, ac rebelles, cujuscumque dignitatis, status, & conditionis forent, per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras, & poenas praedictas incurrisse, servata forma Concilii Tridentini declaran., invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, prout in Apostolicis Pii, & Sixti Praedecessorum, ac patentibus Henrici Cardinalis praedictorum

Causam tamē
contra univer-
sitatem inten-
tante Archie-
scopo Elbo-
ren.

S. Congreg.
Episcoporum,
& Regulariū
decrevit Pri-
vilegia Uni-
versitatis con-
servanda esse.

rum literis super pramissis respective con-
fectis, plenius dicitur contineri.

§.6. Et nihilominus cum Venerabilis
Frater modernus Archiepiscopus Elboren.
super jurisdictione, & ejus exercitio, seu
facultatibus concessis Rectori, & Collegio,
seu Universitati, eorumque Conservatori-
bus predictis in Scholares predictos plura
attentasset, & in dies procuraret, introdu-
cta de mandato similis recol. Pauli Pa-
pae similiter V. pariter Praedecessoris nostri
coram dilectis filiis nostris Sanctae Romanae
Ecclesiae Cardinalibus super causis ad Epi-
scopos, & Regulares spectant, praepositis con-
troverfia inter modernum Archiepiscopum
ex una, & Rectorem, ac Universitatem,
seu Provinciale predictos desuper ex altera
partibus, Cardinales predicti dictas facul-
tates eidem Collegio, Universitati, &
Conservatoribus per literas Pii, & Sixti
Praedecessorum concessas suffragari, nec non
Scholarem Emanuelem Alburquerque in
dicta Universitate Matriculatum, & ibidem
Studentem a Carceribus Curiae Archiepi-
scopalis Elboren. ad ejusdem Universitatis
Conservatorem remittendum fore, & esse
decreverint; Cumque decreto hujusmodi
non obstant, dictus modernus Archiepi-
scopus causam jurisdictionis praedictae uni
ex dilectis filiis Cappellanis nostris Aposto-
licis committi iustaret, iidem Cardinales
decretum per eos, ut praefertur factum ap-
probaverint, & consequenter privilegia,
exemptiones, & conservatorias per Pium,
& Sixtum Praedecessores predictos Rectori,
Universitati, & Provinciali predictis con-
cessa, eidem suffragari, & Scholares in
eadem Universitate Matriculatos, & in Car-
ceribus dictae Curiae detentos, omnino rela-
xandos fore, & esse mandaverint, & insuper
re de novo ad eos deducta privilegia praedi-
cta non modo peregrinos, sed etiam Dico-
cesanos Clericos dummodo in Matricula
ejusdem Universitatis descripti essent com-
plecti declaraverint, & novissime causam
appellationis a quadam sententia Auditoris
nostri Collegii in Lusitania super nul-
litate, & injustitia censurarum per Vicarium
praedicti Archiepiscopi Elboren. ad-
versus dictam Universitatis Conservatorem
in eadem causa Emmanuelis Alburquerque
fulminataram, de lite litem suscitando, di-
lecto filio Magistro Fabricio Verospio dicti
nostri Palatii Apostolici causarum Auditori,
dicta Universitate, & Collegio non cita-
tis, committi extorserit. cujus vigore inhi-
bitionem emanatam, & in partibus execu-
tam Congregatio praedicta moderandam
esse decreverit, prout in decretis, & de-
claratione praedictis, etiam plenius dicitur
contineri.

Potente ius-
sione Univer-
sitate ipsa.

§.7. Et nihilominus Rector, & Uni-
versitas, & Provincialis praedicti vereantur,
ne denuo ab eodem Archiepiscopo, seu ali-
quo ex successoribus suis, aut eorum Mini-
stris, vel Officialibus pro tempore desuper
cavillose molestentur, eaque de causa ite-
rum ad Cardinales praedictos, sive etiam
Nos, & Romanos Pontifices Successores

nostros pro tempore existentes recursum
habere cogantur.

§.8. Nos his, & aliis dignis causis ani-
mum nostrum inducentibus impulsu, Rectori,
& Universitati, ac Provinciali praedictis,
eorumque statui, & indemnitati opportune
consulere, ac eorum singulares personas
ab hujusmodi indebitis vexationibus penitus
eximere, ac specialibus favoribus, & gratiis
prosequi volentes, & eorum singulares per-
sonas a quibusvis excommunicationis, sus-
pensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis
sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab
homine quavis occasione, vel causa latis, si
quibus quomodolibet innodate existunt,
ad effectum praesentium dumtaxat conse-
quendum harum serie absolventes, & ab-
solutas fore censentes; nec non singularum
Pii, & Sixti Praedecessorum, ac patrum
Henrici Cardinalis praedictorum literarum,
& per eosdem S. R. E. Cardinales Causis ad
Episcopos, & Regulares spectant. Praepositos,
editorum Decretorum praedictorum, & in-
de sequutorum, ac praemissorum omnium, &
aliorum necessarium quorumcumque ve-
rioris, ac totos tenores, ac praedicta, &
aliarum litium, causarum, & controversiarum
status, & merita, nominaque, & cog-
nominata, gradus, & qualitates Judicium,
& colligantium, iuraque, & titulos, &
quasvis alias dicti Moderni Archiepiscopi,
ejusque Ministrorum, & officialium, & quo-
rumcumque aliorum praesensiones, praesentibus
pro expressis habentes; de eorumdem
Cardinalium negotiis Episcoporum, &
Regularium hujusmodi praepositorum con-
silio, Motu proprio, non ad Praepositi, vel
Rectoris, seu Universitatis, aut Provincia-
lis praedictorum, aut alicujus eorum, vel
alterius pro eis Nobis oblata petitionis in-
stantiam, sed ex nostra scientia, & metra
deliberatione, ac de apostolica potestatis
plenitudine, omnem, & quaecumque litem,
& causam, vel controversiam, seu
omnes, & quascumque lites, & causas, vel
controversias, tam judiciales, quam ex-
trajudiciales si qua, vel quae adhuc inter
Praepositum, Rectorem, & Universitatem,
& Provinciale praedictos super praemissis,
aut eorum aliquo, & eorum occasione,
tam in petitorio, quam in possessorio, vel
mixto, aut alias etiam per quamcumque
Archiepiscopi, seu ejus Ministrorum, vel
officialium praedictorum, aut alicujus eorum
appellationem, vel protestationem, si
quae sit pro eorum, aut alicujus ipsorum,
parte interposita, vel facta, seu alias quomodo-
libet superint, vel pendeant, aut supe-
resse, vel pendere censeantur, seu cense-
ri possint, etiam a Cardinalibus praedictis, ac
quibusvis aliis Judicibus, & personis, in sta-
tu, ac terminis, quibus reperiuntur ad Nos
harum serie avocamus, illasque sic avoca-
tas ex nunc perpetuo extinguimus, & sopi-
mus, suppressimus, cassamus, annullamus,
& abolemus.

§.9. Nec non tam Pii, quam Sixti Prae-
decessorum, & patrum Henrici Cardina-
lis literas, quam S. R. E. Cardinalium praedi-
cto-

Gregorius
PP. quacum-
que contro-
versias extin-
guit.

Praedecesso-
rumque literas
confirmat.

Praeposito
Gen. Soc. om-
nimodam ju-
risdictionem
super univer-
sitate deman-
dat.

Prohibet
quominus Ar-
chiepiscopus
in ea se ulla
modo ingerat

Praeposito fa-
cultatem con-
cedit Conser-
vatorum Uni-
versitatis de-
putandi.

dictorum Decreta, & declarationem praedi-
ctam, cum omnibus, & singulis in eis con-
tentis clausulis, apostolica auctoritate,
etiam perpetuo approbamus, & confirmamus,
& innovamus, ac etiam de novo in
perpetuum concedimus; nec non illis per-
petuae, & inviolabilis apostolicae firmitatis
robur adiciamus, omnesque, & singulos,
tam juris, quam facti, ac solemnitate,
etiam substantialium, & quoscumque alios
defectus, si qui intervenerint in eisdem, sup-
plemus.

§.10. Et nihilominus propotiori caute-
la, Universitatem, illiusque Officiales,
personas, res, & bona quaecumque, nec non
scholares, tam Peregrinos, quam Dico-
cesanos in Matricula Universitatis hujusmodi
descriptos a praedicti moderni, & pro tem-
pore existentis Archiepiscopi Elboren., suo-
rumque officialium, & Ministrorum superio-
rioritate, jurisdictione, correctione, & vi-
sitatione ex nunc perpetuo eximimus, & li-
beramus, omniaque illa moderni, & pro
tempore existentis Praepositi, & Religio-
rum dictae Societatis curae, regimini, admi-
nistratiōi, & correctioni, ac visitationi
quoad ea, quae eorum Constitutionibus non
repugnant, etiam perpetuo supponimus,
submittimus, & subiciamus: nec non mo-
dernis, & pro tempore existentibus Praepo-
siti generali, & Religiosis praedictis omni-
modam curam, regimen, & administrati-
onem Universitatis hujusmodi, ac illius,
& scholarium tam Peregrinorum, quam Dico-
cesanorum, ut praefertur, in matricula descri-
ptorum jurisdictionem, correctionem, & vi-
sitationem, quoad ea quae Societatis hujusmodi
instituti, ut praefertur, non repugnant, di-
cta auctoritate similiter perpetuo commit-
timus, concedimus, demandamus, & as-
signamus.

§.11. Ac praedictum modernum, &
pro tempore existentem Archiepiscopum
Elboren., suosque officiales, & Ministros,
vel aliam quamvis personam, cujuscumque
status, gradus, & conditionis existat, in ju-
risdictione, correctione, & visitatione praedi-
ctis, aliisque omnibus ad Universitatem,
& illius scholares tam Peregrinos, quam
Dioecesanos, ut praefertur descriptos, offi-
ciales, lectiones perlegentes, aut bona,
privilegia, gratias, libertates, & exemptiones
illorum spectantia se intrmittere, aut
aliam superioritatem, jurisdictionem, cor-
rectionem, etiam ratione cujusvis delicti,
ubicumque delictum commissum fuerit, aut
visitationem, seu visitandi jus habere, aut
praetendere nullatenus posse, sed praemissa
omnia ad eisdem Praepositum, & Religio-
sos plenarie spectare, & pertinere debere,
nec eos super illis a praedictis, seu quibusvis
aliis personis molestari, perturbari, aut im-
pediri posse, pariter perpetuo statuimus, ordi-
namus, & mandamus.

§.12. Nec non nunc, & pro tempore
existentibus Praeposito, & Religiosis praedi-
ctis, ut ipsorum Collegii, & Universitatis
Conservatores, eum, vel eos in dignitate
ecclesiastica constitutos, tam seculares,

quam quorumvis ordinum Regulares decre-
torum Doctores, vel in Theologia Magis-
tros, vel licentiatos, quem, seu quos Rector,
seu Provincialis, aut Praepositus, &
Religiosi praedicti duxerint nominandos, &
eligendos, assumere possint, & valeant, ite-
dem perpetuo concedimus, & indulgemus.

§.13. Eisdemque, ut praefertur, in con-
servatores nominatis, & electis committimus,
& mandamus, quatenus ipsi, vel duo,
aut unus eorum per se, vel alium, seu alios,
etiam si sint ex locis in quibus Judices, &
Conservatores, ut praefertur, deputati fuerint,
iisdem Praeposito, Religiosis, Rectori, Col-
legio, Universitati scholaribus tam Peregrinis,
quam Dioecesanis, ut praefertur descriptis,
& singularibus illorum personis
efficacis defensionis praedio assistentes,
non permittant Praepositum, Religiosos, Re-
ctorem, Collegiales, & Scholares praedictos
super eorum personis, ac bonis, & iuri-
bus ad eos, eorumque singulos, nec non
Collegium, & Universitatem hujusmodi
spectant, ac privilegii, & exemptionibus,
immunitatibus, facultatibus, & indultis, eis
communiter, vel divisim pro tempore con-
cessis, eorumque usu, & pacifica possessione
ne a quibusvis personis indebita molestari,
aut eis gravamina, damna, vel injurias
desuper irrogari, facturi Rectori, Religio-
sis, Collegio, & Universitati, illorumque
Collegialibus, & Scholaribus tam Peregrinis,
quam Dioecesanis in Matricula Uni-
versitatis hujusmodi descriptis, ac personis
hujusmodi cum ab eis, sive eorum Prote-
ctore fuerint requisiti, in his, quae iudicia-
lem requirunt indaginem, summarie, sim-
plicitate, & de plano, sine strepitu, & figura
Judicii, sola facti veritate inspecta, in aliis
vero, prout negotiorum qualitas exegerit,
iustitia complementum, occupatores, seu
detentores, praesumptores, & innovatores
hujusmodi, nec non contraditores quoslibet,
& rebelles cujuscumque status, gradus,
dignitatis, & conditionis existant, per
sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas,
aliaque opportuna juris, & facti remedia,
appellatione postposita, compescendo,
legitimisque super his habendis, servatis
processibus, illos sententias, censuras, &
poenas praedictas incurrisse, servata forma
Concilii Tridentini declarando, invocato
etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii
secularis.

§.14. Praesentes quoque literas, & in eis
contenta quaecumque perpetuo valida, &
efficacia existere, suosque plenarios, & in-
tegrus effectus sortiri, & obtinere, ac per
modernum, & pro tempore existentem Ar-
chiepiscopum Elboren., eorumque Mini-
stros, officiales, ac alios omnes, ad quos
spectat, & spectabit, quosque praemissa con-
cerunt, aut concernent quomodolibet in
futurum, inviolabiliter perpetuo observari
debere, nec ab eis; aut eorum aliquo resili-
ri unquam posse, nec etiam ex eo, quod
Archiepiscopus, ejusque Ministri, & offi-
ciales praedicti, aut quicumque alii inter-
esse habentes, vel putantes, seu praetenden-
tes

Quae Conser-
vatoris sint fa-
cultates.

Clausula.

res ad hoc vocati, & causa, seu causa, propter quam, seu quas praemissa emanant, etiam coram Cardinalibus praedictis, vel aliquo alio Iudice, etiam Ordinario, vel delegato, aut alias examinatae, iustificatae, & verificatae non fuerint, seu quavis alia causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, seu quovis alio defectu notari, argui, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, seu etiam per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel Sedem Apostolicam, ejusve Legatos etiam de latere revocari, suspendi, restringi, limitari, modificari, vel eis in aliquo derogari, aut etiam illas, & illa ad viam, & terminos juris reduci, aut contra eos, & ea restitutionem in integrum, seu quodvis aliud gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel concedi, aut quidquam aliud in contrarium fieri, statui, vel ordinari nullatenus unquam posse: & nihilominus sub quibusvis illarum, & illorum revocationibus, suspensionibus, & derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam, ut praefertur, vel alias quomodolibet pro tempore emanatis, & emanant, non comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitui, & etiam de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Praepositum, Religiosos, Rectorem, & Universitatem, ac Provinciales praedictos, & eorum singulos pro tempore eligenda concessas esse, & ceteri; ac Praeposito, Rectori, & Universitati, nec non Provinciali praedictis suffragari debere, ipsosque Praepositum, Religiosos, Rectorem, & Universitatem, ac Provinciales, & Universitatis hujusmodi personas singulares ex nunc deinceps super praemissis omnibus, & singulis per Archiepiscopum, ejusque Ministros, ac Officiales praedictos, aut quoscumque alios quomodolibet molestari, vel impedire non posse; Sicque in praemissis omnibus, & singulis ab omnibus ceteri, ac ita per praedictos, & quoscumque alios ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoscumque alios Iudices, etiam Ordinarios, & Delegatos, & Sedis praedictae Nuncios, nec non causarum dicti Palatii Auditores, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere: irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam perpetuo decernimus, & declaramus; Necnon praedicto moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Elborensi, eorumque Ministris, & Officialibus, & quibusvis aliis in, & super praemissis omnibus, & singulis perpetuum silentium imponimus; Sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostrae, & Sedis praedictae fuisse, & esse, ac perpetuo fore attestamus. Districtius inhibentes praedicto moderno, & pro tempore existenti Archie-

piscopo Elborensi, eorumque Ministris, & Officialibus, ac quibusvis aliis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, in virtute sanctae obedientiae, & sub indignationis nostrae, dictaeque Sedis apostolicae quoad modernum, videlicet, & pro tempore existentem Archiepiscopum sub interdictione ingressus Ecclesiae, & suspensionis a divinis; quoad alios vero inferiores etiam sub excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, nec ex tunc deinceps in perpetuum ullo umquam tempore praesentibus literis in aliquo per se, vel alium, seu alios publice, vel occulte, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse quovis quaesito colore, praetextu, vel ingenio quomodolibet contrafacere, dicere, vel venire, neque Praepositum, Religiosos, Rectorem, Collegium, Universitatem, illorumque Collegiales, & scholares tam Peregrinos, quam Diocesanos, ut praefertur, descriptos, aut eorum aliquem desuper quomodolibet molestare, vel impedire, in Iudicio, & extra illud audeant, seu praesumant. Decernentes nihilominus etiam irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 15. Non obstantibus praedictis, & quacumque litis pendentia, & nostris de non tollendo iure quaesito, & in Cancellaria Apostolica, novissime publicata, qua caveatur, ne eligantur in Conservatores nisi personae in dignitate ecclesiastica constitutae, qui etiam in Iudices Synodales deputati existunt, quodque hic electi extra Dioecesim, in cuius Synodo Iudices sunt deputati Jurisdictionem exercere non possint, earumque in causis dumtaxat, in quibus ii, qui eos elegerint, sunt rei, habeant, aliisque ejusdem Cancellariae regulis editis, & edendis, nec non rec. memor. Bonifacii PP. VIII. pariter Praedecessoris nostri, in quibus etiam caveatur, quod nullus extra suam Civitatem, vel Dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam Dietam a fine suae Dioecesis ad Iudicium e vocetur, seu ne Iudices, & Conservatores a d. Sede deputati contra quoscumque extra Civitatem, vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, praecedere, seu alii, vel alii, vices suas committere praesumant, dummodo ultra tres dietas aliquis ad Iudicium non trahatur, seu quod de aliis, quam manifestis injuriis, & violentiis, & aliis, quae Iudiciale non requirunt indaginem, poenis in eos, si secus egerint, & in id procurantes adjectis, Conservatores, se nullatenus intromittant, aliisque apostolicis, ac etiam in universalibus, & Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis, & aliis editis specialibus, nec non generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, aliisque Conservatoriis, privilegiis, & indulgentiis, Capitulis Cathedralium Ecclesiarum, nec non Communitatibus, & Universitatibus, ac personis particularibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam motu, & ex certa scientia, ac de apostolica pot-

Derogatio contrariosum

potestatis plenitudine paribus, ac etiam confistorialiter, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, ac imposterum concedendis, confirmandis, & innovandis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentis hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 8. Nov. 1621. An. I.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die octava Novembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

X L.

Quod votum, ac iuramentum, quae Clerici Congregationis Doctrinae Christianae de Urbe in ea perpetuo manendi emittunt, Romano Pontifici reservata de cetero sint.

Istam Congregationem una cum Confraternitate Laicorum sub invocatione Doctrinae Christianae crexit Paul. V. in Constitutione LXXXIII. Ex credito. ut sup. fol. 284.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

EX incumbenti Nobis desuper pastoralis officii debito ad ea libenter intendimus, per quae piorum Christianorum Congregationes ad divini nominis laudem, & gloriam, animarumque salutem pie, & recte instituta, sub salubribus eorum Regulis, & institutis perseverent, & majoribus in dies proficiant incrementis.

Clerici Congreg. Doctrinae Christianae elapso novitiatus anno sponte emittunt votum, ac iuramentum perpetuum manendi in d. Congr.

§. 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Praepositi, & Clerici Congregationis Doctrinae Christianae in Ecclesia S. Agathae Transiberim de Urbe instituta Nobis nuper exponi fecerunt, Clerici ejusdem Congregationis elapso Novitiatus anno votum cum iuramento in eadem Congregatione perpetuo manendi libera, & spontanea voluntate emittant;

Et tamen cum nonnulli putent super hoc licitam dispensare, & illa commutare;

§. 2. Nonnulli vero super voto, ac iuramento praefatis invita etiam Congregatione hujusmodi, dispensare, & illa commutare licitum putent, & de facto in ejusdem Congregationis praedictae dispensent, & commutent.

Ideo Pont. commutationem, & dispensationem super voto, ac iuramento sibi, & Rom. Pont. de cetero reservat.

§. 3. Non praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare, dictosque Praepositi, & Clericos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis

a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari; Quod de cetero cum Clericis ejusdem Congregationis super voto, & iuramento praefatis, nisi per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, dispensari, aut votum, & iuramentum praefata commutari nullatenus possint, apostolica auctoritate, tenore praesentium decernimus, & ordinamus, & facultatem super voto, & iuramento praefatis dispensandi, seu eadem vota commutandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti reservamus.

§. 4. Insuper quod decem dictae Domus S. Agathae ejusdem Congregationis Clerici ab illis Praeposito nominandi ad quatuor minores quatuor feriatis, vel non feriatis diebus, ac subinde ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordines in temporibus a jure statutis, interstitiis tamen a sacro Concilio Trid. designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiam si sic promovendi, antequam de uno ad alium promoveantur, in primo quoque suscepto ordine se minime exercuerint, ad titulum portionis annuae 40. scutorum unicuique illorum per pro tempore existentes dictae Congregationis Officiales annuatim, quamdiu sub illius obedientia vixerint dumtaxat pro victu, & vestitu, prout praestantur aliis dictae Congregationis Confratribus in communi viventibus, & in ea praestant, si aliis ad id idonei reperti fuerint, a dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali ejus arbitrio, ac si ita illi videbitur, promoveri, & promoti in ordinibus hujusmodi etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & indulgemus. Volumus autem, quod ipsi decem hujusmodi promovendi ab obedientia dictorum Officialium recedere non possint, nec debeant, nisi aliunde alium commodiorem, & perpetuum redditum, unde se decenter sustentare valeant, acquirant, & tunc non nisi de ejus Vicarii pro tempore existentis licentia, & nihilominus aliter ab obedientia praedicta recedentes, ab executione susceptorum Ordinum, arbitrio ejusdem Vicarii, sint suspensi.

§. 5. Insuper omnia, & singula dictae Congregationis privilegia, quatenus sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, neque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis adversentur, auctoritate, & tenore praefatis approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 6. Decernentes, quascumque voti, seu iuramenti praefatorum dispensationes, seu

Privilegia ipsius Congregationis non revocata approbat, & confirmat.

Dispensationes, vel commutationes seu